

puerum, Phidippe, mihi cedo : ego alam. *PH.* maxume.
non mirum fecit uxor [mea] si hoc aegre tulit :

710 amarae mulieres sunt, non facile haec ferunt.

propterea haec irast ; nam ipsa narravit mihi.

id ego hoc praesente tibi nolueram dicere,

90

neque illi credebam primo : nunc verum palamst.

nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.

715 *LA.* quid ergo agam, Phidippe ? quid das consili ?

PH. quid agas ? meretricem hanc primum adeundam
censeo :

oremus accusemu' graviu' denique

95

minitemur si cūm illo habuerit rem postea.

LA. faciam ut mones. eho puer(e), curre ad Bacchidem
hanc

720 vicinam nostram : huc evoca verbis meis.

et te oro porro in hac re adiutor sis mihi. *PH.* ah

iamdudum dixi idemque nunc dico, Lache :

100

manere adfinitatem hanc inter nos volo,

si ullo modo est ut possit : quod spero fore.

725 sed vin adesse me una dūm istam convenis ?

LA. immō vero abi, aliquam puero nutricem para.

ACTVS V

BACCHIS LACHES

i

BA. Non hoc de nihilost quod Laches me nunc conventam
esse expetit ;

nec pol me multum fallit quin quod suspicor sit quod velit.